*ASSISTENTE ADVOCATO DIVINO.*

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

# OFFICIO ADVOCATI

ERGA

# CLIENTEM,

QUAM

*DEO TER SANCTO PRÆSIDE*

EX DECRETO ET AUTHORITATE

ILLUSTRIS ET MAGNIFICI

JCTORUM ORDINIS

IN ALMA ARGENTORATENSIUM

UNIVERSITATE

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDI

*AD D. 6. APRIL. A. R. S. MDCCXLII.*

HORIS LOCOQUE SOLITIS

PUBLICO AC SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT


GEORGIUS CAROLUS

FERDINANDUS POPP,

JAXTHUSA - FRANCUS.



*ARGENTORATI,*

Typis, MELCHIORIS PAVSCHINGERI, Typogr.

VIRIS
PER-ILLUSTRIBUS,
EXCELLENTISSIMIS, GENEROSISSIMIS,
MAXIMEQUE STRENUIS
DOMINIS, DOMINIS,
DIRECTORI,
CONSILIARIIS
NOBILITATIS IMMEDIATÆ
ALSATICÆ INFERIORIS
ORDINARIIS
ET
ASSESSORIBUS,
DOMINIS
ET PATRONIS SUIS
OPTIMIS MAXIMIS,
SALUTEM, GLORIAM ET PERENNANTEM
FELICITATEM!

Digitized by Google

# VIRI

## *Per-Illuſtres, Excellentiſſimi,*

*Generoſisſimi, Maximeque Strenui,*

# DOMINI CLEMENTES, PATRONI GRATIOSISSIMI!

NE in abominandæ ingratitudinis labem incidiſſe videar, leve hocce ſpecimen Academicum ILLUSTRISSIMIS VESTRIS NOMINIBUS conſecrare, idque ad pedes VESTROS obſequioſe deponere auſus ſum, ut publice demonſtrem, quanta mea in VOS, VIRI SUMMI, ſit pietas, quantusque grati mei animi in VOS ſit affectus. Sub VESTRO enim Patrocinio officium Advocati aggredi juſſus ſum, quare ingratiſſimus audirer, ſi id ſolvere recuſarem, quod ex ſtudio pietatis debeo. Fateor quidem, SPLENDORI VESTRO minus reſpondere exiles haſce paginas, quæ officium Advocati exhibent; verum maxime confido, VOS non

muneris pretium, ſed offerentis animum eſſe conſideraturos. Suſcipite itaque benigno atque gratioſo obtutu, quicquid in teſſeram ſubmiſſæ devotionis ad ILLUSTRIS TRIBUNALIS VESTRI aram demiſſa mente devolvo, meque porro, uti hactenus, Favore atque Patrocinio VESTRO complecti non dedignamini. Ego nunquam deero, Divinum Numen calidiſſimis invocare precibus, ut VOS omnes & ſingulos per plurima adhuc luſtra ſalvos incolumesque conſervet, omnique felicitatis genere cumulatiſſimos reddat, quo Regimen VESTRUM floreat feliciſſimum, quo Sacra Juſtitia, pro qua quotidie in inſignem immortalitatis laudem labores ſuſtinetis, vigeat ſalva, quo denique & impoſterum Clementia VESTRA uti fruique poſſit

ILLUSTRISSIMORUM
NOMINUM VESTRORUM,
EXCELLENTISSIMARUMQUE GENEROSITATUM VESTRARUM

*Addictiſſimus & obſequioſiſſimus*
*Cultor*

GEORGIUS CAROLUS FERDINAND. POPP,
Jaxthuſa-Francus.

*JEHOVA JESU JUVA!*

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

# DE OFFICIO ADVOCATI ERGA CLIENTEM.

## §. I.

QUod munus Advocatorum honorabile, vitæque humanæ neceſſarium atque utile ſit, nemo ſana ratione præditus dubitat; ſunt enim eum in finem conſtituti, ut ſaluti hominum provideant, rebus publicis conſulant, fraudes flagitiaque nocentium coërcitioni & odio Judicis ſubjiciant, curentque, ſceleratos ſupplicio conſtringi, innocentes tueantur, oppreſſos ſublevent, laborantium ſpem, vitam poſteroſque defendant, glorioſæ vocis confiſi munimine. Quæ cum ita ſint, recte dicitur, quod Advocati non minus Reipublicæ prodeſſe poſſint, quam Milites armati, uti verba *Legis 14. Cod. de Advocatis diverſor. Judicior.* diſerte te-

 ſtantur,

ſtantur, in qua Imperatores LEO & ANTHEMIUS encomia Advocatorum vehementer extollunt, eorumque munus, neceſſitatem, utilitatem, dignitatem & amplitudinem omnibus numeris abſolutam ita deſcribunt, dicentes: *Advocati, qui dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus Patriam Parentesque ſalvarent; nec enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur, ſed etiam Advocatos; militant namque Cauſarum Patroni, qui, glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt.* Recte hinc Imperator JUSTINIANUS Advocatos honorificis titulis appellat Judiciorum Athletas, nunc Oratores maximos, nunc Juſtitiæ Sacerdotes atque Satellites &c. Unde ſatis liquet, Advocatos ceu milites togatos in illuſtri dignitate conſtitutos eſſe, eorumque nomen honoris ac dignitatis titulum mereri, prouti videndum eſt hinc inde ex *titulis C. de Advocat. diverſ. Judiciorum & Judicum.*

§. II.

Nominamus autem Advocatum eum, qui in Jure vel Judicio pro litigantibus in cauſis civilibus & criminalibus deducendo & proponendo operam navat, atque præſentiam ſuam vocatus

Digitized by Google

tus commodat. Inter alias autem Advocati qualitates præcipue referendæ ſunt, quod nempe debeat eſſe idoneus, ſincerus, integræ & probæ vitæ homo; Virtus enim, probitas & integritas in Candidato vel Advocato, non linguæ volubilitas, non ars, non Scientia ſcilicet ſola requiritur. CICERO *pro Cn. Plancio p. 634. lit. C.* ut & eruditus & juris ſcientia prædītus. *L. 11. §. 1. C. de Advocat. diverſ. Judiciorum.* Tituloque Doctoratus vel Licentiæ inſignitus atque comprobatus; *Ord. Cam. P. I. t. 18.* Id quod in plurimis Regnis hodie requiritur, imprimis in Gallia & multis Dicaſteriis Germaniæ, ubi in numerum Advocatorum nemo recipitur, niſi prius monſtret, ſe à Facultate aliqua Juridica examinatum & prædicto titulo honoratum eſſe. vid. BOUCH. *tit. des advoc. p. 75.* Præter has qualitates debet Advocatus inſtructus quoque eſſe memoria, imo bonitate, prudentia & eloquentia, prouti ſolide demonſtravit *Excellent. & Conſultiſſ.* DN. JEREMIAS EBERHARDUS LINCKIUS, *J. U. D. atque P. P. O. longe celeberrimus, Capituli Thomani Decanus Venerandus, Patronus, Fautor atque Præceptor meus omni honoris ac pietatis cultu proſequendus in Diſſert. quadam ſub Titulo de quadruplici virtute Advocati. Argentorati. die 29. Octobr. 1735. habita.* & non inepte hic allegari meretur der luſtige Juriſt, qui in *P. I. p. 433.* citat AB ESBACH.

 ad

ad CARPZ. *P. I. C. I. def. 18. n. 17.* ſequentia communicans:

## ADVOCATUS

| eſt | & in ipſo habitat |
|---|---|
| Arbeitſam. | Amor veritatis. |
| Demüthig. | Doctrina. |
| Verſtändig. | Virtus. |
| Ordnungliebend. | Oratoria. |
| Chriſtlich. | Chriſtiana religio. |
| Aufrichtig. | Abſtinentia avaritiæ. |
| Tugendhafft. | Temperantia. |
| Unbeſtochen. | Vita honeſta. |
| Standhafft. | Styli notitia. |

ubi adhuc multis elogiis virtutes & qualitates bonorum Advocatorum recenſet.

§. III.

Advocati duplicis generis ſunt, alii enim publicis negotiis addicti ſunt, & vocantur Advocati Regis vel Fiſci, vel Generales ſeu publici; de quibus conſulendus LEYSER *in Medit. ad ff. ſpecimine 49. ſp. 1. & 2.* alii privatorum deſideria in Judicio apud illum, qui Jurisdictioni præeſt, proponunt, & ſimpliciter Advocati Curiæ, cujus matriculæ nomen dederunt, dicuntur, & ad patrocinium ſuſcipiendum tam in Civilibus quam Criminalibus etiam inviti cogi poſſunt, quoniam offi-

Digitized by Google

officium Advocatorum quodammodo publicum eſt. *l. 2. de Reg. Jur.* GAIL. *I. obſ. 43. n. 14.* CARPZOV. *3. qu. 115. n. 92.* quod ſi recuſaverint, imminet ipſis pœna non tantum pecuniaria, ſed etiam privationis officii, ita, ut foro arceantur, nec amplius patrocinandi munere fungantur. *L. 7. C. de Poſtulando. L. 6. C. de Advoc. diverſ. Judicior.* niſi legitima & juſta excuſandi adſit ratio, eaque probetur, quæ, ſi relevans, recipitur, & in locum excuſati alius ſubſtituitur. Non tamen tenentur gratis officio ſuo fungi, niſi in cauſis pauperum & miſerabilium perſonarum. Apud priſcos quidem Romanos gratuito Advocatos cauſas egiſſe patet ex L. CINCIA. *Teſte Tacito Lib. XI. & XIII. annal. in pr. & Ovidio Eleg. 1.*

*Turpe reos empta miſeros defendere lingua*
*Quod faciat magnas turpe tribunal opes.*

vid. HILLIG. IN DONELL. *L. 18. c. 3. Lit. H.h.h.* Quod tamen Jure Civili & Canonico mutatum, & ideo etiam in bene conſtitutis Rebuspublicis certi Advocati pauperum ſunt conſtituti, qui oppreſſos erigant, ipſisque auxilium ferant; & hi quandoque ex Fiſco aut ex publico ſalarium accipere ſolent; ſed hoc caſu litigantes de Paupertate jurare debent. *c. Statutum. verſ. inſuper. X. de Reſcript. in 6.* CARPZOV. *P. 1. c. 1. d. 25.* prouti hoc etiam ſtatuto hic Argentorati, ubi quilibet Advocatus in matriculam receptus tenetur cauſas pau-

 perum

perum in ſe ſuſcipere, ſi a tali cliente requiritur, aliâs ex officio nominaretur, in ſpecie cautum. *vid.* Reformirte Raths-Ordnung E. E. Raths der Stadt Straßburg 2c. *de anno 1620. p. 29. ſub rubr.* Armer Partheyen Eydt. Si tamen ad pinguiorem fortunam pervenerint, omnia & Judicî & Advocato ſolvere coguntur. Quod ſi Advocati cauſas in ſe ſuſceperint, vel à Judice dati fuerint, tunc poſt litem conteſtatam & objectiones oppoſitas de calumnia jurare debent, ſe videlicet veram & juſtam defendere cauſam. *L. 2. C. de Jurejurando propter calumniam dando.* Verum hodie de conſuetudine Advocati non ſemper hoc modo & tempore jurant, quoniam hodie, antequam in album Curiæ recipiuntur, jurare debent, quod cum omni veritate & ſtudio patrocinium præbere velint Clientibus; ſicuti in Camera Imperiali. *Part. I. Ord. Cameral. t. 62. & 64.* bonis enim viris vel ſemel præſtitum juramentum ſemper animo obſervatur, improbos vero etiam ne ſæpius quidem repetitum coërcet. HOPP. *ad* §. *1. in fine Uſ. hodiern. Inſt. de Pœna temere litig.*

## §. IV.

Tenor Juramenti, quod Advocati in Camera Imperiali & alibi præſtare tenentur, ſic ſe habet: *Advocati ſtipulentur, & Deum Sanctumque Evangelium teſtentur, partibus ſe, quarum cauſas agen-*

*agendas ſuſceperunt, fidos ac integros præſtituros eſſe, in iisdem, quam rectiſſime prudentiſſimeque poſſunt, in partium utilitatem diligenter acturos, ſcienter nulla fraude aut iniquitate uſuros, pactum nullum conventionemque de portione aliqua litis cauſæve, cujus ſunt Advocati, expectaturos, ſecreta partium & , quæ celanda ſunt, conſilia, informationes, inſtructiones, adminicula vel à partibus accepta, vel quæ ipſi ſua ſagacitate atque ſolertia ab illis hauriunt, in earundem præjudicium atque diſpendium nemini patefacturos, Tribunal ipſum perſonasque reverenter habituros, promoturos, ac coram illis ſe decenter honeſteque geſturos, rixas ignominioſas convitiaque ſub pœna à Judicio cenſenda omiſſuros, nec partes ultra mercedis ex ordine conſtitutæ præſtationem auctione pactioneve qualicunque gravaturos; ſi qua vero hujus gratia lis aliqua ſeu contentio inter ipſas ac partes contingeret, quicquid ibi à Præſide Judicii Cameræ Judicibusve, quos vel ſibi adſciſcet, vel ad eam controverſiam pacandam deputabit, diſcuſſum fuerit, ratum gratumque habituros, neque cauſam ſemel ſuſceptam temere absque legitimis rationibus à ſe rejecturos, ſed ad extremum usque, donec lis tota definietur, cauſis adhæſuros, omni fraude, doloque malo ſemotis. vid.* GOLDASTUS, *in Tom. 2. Conſt. Imp. fol. 277.* & ORD. CAM. *P. I. T. 62. & 64.*

§. V.

Prædicti Juramenti formula generatim regulas

gulas præſcribit Advocatis, quas in advocationibus ſuis obſervare tenentur, & quæ ſub vocabulo officiorum hoc in loco à nobis ſumuntur, ſummatimque exigunt, ut deſiderium ſui clientis in jure Judiciove exponat Advocatus, & adverſarii intentioni contradicat, inſuperque adducat, quæ cauſæ inſerviant & illam ad optatum finem deducat. Officia vero Advocatorum ſecundum prædictum Juramentum ſeſe exſerunt vel reſpectu Judicis, vel reſpectu partis adverſæ, vel denique ratione clientis ſui, cujus cauſam ſuſcipere rogatur aut rogatus jam ſuſcepit. Erga Judicem loci tanquam Dei miniſtrum, coram quo cauſam defendit, *modeſte* tam in loquendo quam ſcribendo ſe gerat, debitum honorem & reverentiam Ipſi tribuat, caveatque, ne inhoneſta verbi prolatione Judicem offendat; ſub Judice enim offenſo litigare & clientulo perniciosum & Advocato periculoſum eſt. vid. BERLICH. *P. I. concl. 9. n. 19.* nec in ejus conſpectu in Auditorio circumcurſitet, vel ſi ſui copiam facere debet, ſe ſubducat, neve absque venia exeat, cum in eo potiſſimum videatur ſita Reipublicæ ſalus & conſervatio, ſi Magiſtratui Judicibusque ſua monſtretur authoritas, quam præciſe Advocati tueri debent; ſecus faciens & violati Jurisjurandi notam contrahet, indignationemque Curiæ ejusque coërcitionem arbitrariam v. g. ſuſpenſionem vel plane remotionem incurret. vid. BOURICIUS *in ſuo Advo-*

*cato*

*cato cap. XI. pag. 31.* Poteſt tamen Advocatus, ſi aliquem Aſſeſſorem legitimis ex cauſis ſuſpectum credat, petere, ne in hac cauſa ſententiam det; ita etiam in Camera Imperiali conſtitutum eſt, teſte GOLDASTO *Tom. II. Conſtit. Imper.* ORDINAT. CAMER. IMPER. *P. I. T. 22. fol. 259.* Caveat quoque Advocatus, ne ſubditos contra Magiſtratum ſuum concitet, vel reſiſtentes defendat, quin potius eos inſtruat, ut Magiſtratui, qui Dei vices gerit in hoc mundo, obediant, niſi juſtam litigandi cauſam habuerint. BERLICH. *l. c. n. 42. & 43.* & niſi id fiat vel venia Domini vel juſſu Superioris, quia juſſus Superioris adeoque Magiſtratus excuſaret.

## §. VI.

Officium Advocati erga Partem adverſam ejusque Advocatum in eo conſiſtit, ut tales perſonas benigne tractet, nihilque injurioſum aut contumelioſum adverſus eas proferat; nihil enim tam deforme eſt, quam illis juſtitiæ contentionibus acerbitatem naturæ adjungere, quod certe non fit ſine magno Clientis damno & incommodo; nec ad convincendum adverſarium fallaciis aut deceptionibus utatur, quia hoc virum bonum non decet. OVIDIUS quidem ait:

*Judice me, fraus eſt conceſſa, repellere fraudem.*

& quod cretiſandum ſit adverſus Cretenſem in proverbio fertur; ſed hoc cum grano ſalis eſt

 intel-

intelligendum, & concedi quidem aliquo modo poteſt, modo tamen mendacium vel perjurium abſit. vid. TIRAQ. *præf. de retr. lign. n. 69.* Agat potius, quod cauſa deſiderat, nec probris, ſed ratione & legibus, certet, niſi opinionis ſuæ diminutionem pati velit. *L. 6. §. 1. C. de poſtulando.* Qua de re paſſim cavetur in ordinationibus etiam Judiciorum, & præterea à Judice pœnam extraordinariam dictari poſſe tradit CARPZOVIUS *P. I. Jurispr. Conſiſt. Conſt. 1. def. 19.* & HILLIG. *P. 2. Lib. 18. cap. 3. Lit. A a a. pag. 255.* in genere obſervet regulam: *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Nec refert, ſive hoc caſu conviciator verum dicat, ſive falſum, cum veritas convicianter non excuſet. vid. MYNSINGER. *Cent. 4. obſ. 4. n. 2.* Turpiſſimum enim eſt, in Judiciis ſe conviitiis proſcindere, & citra litis utilitatem erga adverſarium ſuum in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpere, niſi 1) quis ab adverſario opprobriis vel aliis contumelioſis verbis fuerit provocatus & laceſſitus, tunc enim præmiſſa proteſtatione, quod non animo injuriandi ſed defendendi, & cauſa juris ſui conſervandi hoc dicat, adverſario turpem notam objicienti ſecure dicere poſſe advocatum: *tu mentiris*, non dubito, cum crudelis ſit, qui propriam famam negligit. vid. MAGON *in Cynoſ. advoc. c. 4. n. 16.* 2) Niſi cauſæ juſtæ defenſio hoc neceſſario requirat, tunc enim tenetur pro Cli-

Digitized by Google

Cliente alterius turpitudinem allegare. v. gr. Si frater ab hereditate fratris excluſus, & turpis perſona ipſi prælata, hoc caſu poterit proteſtatione prævia turpitudinem inſtituto objicere. *L. fratres. C. de inoff. Teſt.* & *L. 6. C. de Poſtul.*

§. VII.

Satis de his, quæ Advocatus erga Judicem & Partem adverſam obſervare debet. Agendum nunc nobis eſt de officio Advocati erga Clientem in exercendis litibus. In genere obſervandum venit, quod Advocatus, quando ipſi aliqua cauſa defendenda ab aliquo proponitur, ante omnia informationem de facto controverſo non obiter & oretenus, ſed etiam in ſcriptis, ſi poſſibile, vel ſub ipſius manu Clientis vel ſub alterius à Cliente in cauſis maxime gravioribus exigat, quam apud ſe usque ad finem litis, ſi in ſe defendendam cauſam ſuſcipere cupit, retineat, atque adeo honori ſuo caveat; ſæpe enim litigantes plurima de cauſæ ſuæ Juſtitia prædicant, & ſe probare poſſe jactant, quæ tamen poſtea in proceſſu cauſæ præſtare nequeunt; quapropter cum cauſa quandoque cadunt, culpam adverſæ ſententiæ vel in Advocati imperitiam vel etiam negligentiam rejiciunt. Requiritur itaque, ut antequam ſuſcipiat cauſæ ſibi propoſitæ patrocinium, prius diligenter inquirat juſtitiam ſeu merita & probabilitatem cauſæ, & clientem de cauſa ſua per-

 oran-

orantem patienter & attente audiat, omnesque circumſtantias accurate excutiat, argumenta contraria objiciat, & ſedulo omnia perpendat, ne præceps ſit in conſulendo, ſed potius dilationem & tempus deliberandi petat, ut exacte juſtitiam cauſæ dignoſcat, ejusque veritatem indaget; tritum enim eſt, eum properare ad pœnitendum, qui cito pronunciet. Idcirco Clientulo victoriam propter dubium litis eventum vel Principis gratiam non promittat, ne incidat in pœnas fumi venditorum. MENOCH. *de Arbitr. jud. quæſt. Lib. 2. caſ. 344.*

## §. VIII.

Quod ſi Advocatus animadvertat, litigantem fovere cauſam evidenter injuſtam & manifeſte falſam, tunc tenetur ipſi denegare patrocinium *L. 14. §. 1. C. de Judic.* nec in ea ad compoſitionem ſeu transactionem tentandam inducat. HILLIG. ad DONELL. *Lib. 18. cap. 3. Lit. XX. p. 254.* STRUV. *Exerc. 7. th. 5. in fine.* Cum non debeat facere contra propriam conſcientiam etiam erroneam, quia omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt; perinde Advocatus talis, qui cauſam ſordidam, injuſtam atque impiam in ſe defendendam ſciens ſuſcepit, condemnabitur ad expenſas litis & damna reſarcienda parti læſæ, ceu emunctor nummorum, quemadmodum loquitur DURUS de PASCOLO *in Aul. Pol. Reg. 338.*

Digitized by Google

338. Hoc enim macilentorum & avarorum Rabularum eſſe ſolet, quod genus hominum PLATO adeo execratur, ut in bene conſtituta Republica talem civem morte plectendum eſſe cenſeat, & quidem recte, nam tales homines conſcientias humanas pervertunt, Juſtitiæ Sanctitatem in cautelas, technas & perjuria commutant, unde nullatenus inter bonos connumerandi, ſed potius tanquam carcinomata peſtesque Reipublicæ fugiendi & fugandi ſunt. BOURICIUS *l. c. cap. 9.* Debet itaque Advocatus agnoſcens injuſtitiam partis inducere Clientem ad cedendum vel componendum ſine damno adverſarii. Quod ſi Cliens ab Advocato admonitus de injuſtitia cauſæ noluerit cedere nec componere, debet Advocatus ipſi Patrocinium denegare, non tamen adverſario rem indicare, nec ſecretum detegere; quod intelligendum, niſi detectio foret neceſſaria ad impediendum aliquod damnum proximi, qui alioqui eſſet injuſte & innocenter condemnandus, aut in re magni momenti, ut ſi ageretur de vita, aut mutilatione membri, aut de honore, aut ſtatu, aut de bonis omnibus vel notabili parte, & ceteris ſimilibus magni momenti; nam tunc ex charitate debet Advocatus Judici aperire, ut occurrat, cum quivis teneatur proximi damna ſaltem gravia impedire, quantum ſine damno & ſcandalo poteſt. vid. LESSIUS *de J. & J. c. 31. dub. 8.*



Digitized by Google

§. IX.

Quid vero dicendum, ſi Advocatus, qui injuſtam cauſam tuetur per ignorantiam, eam juſtam eſſe bona fide & absque dolo exiſtimet, tenebiturne ad reſtitutionem damni & expenſarum? Reſpondetur diſtinguendo inter ignorantiam vincibilem & invincibilem; ſi Advocatus de illa vincibili craſſa & culpabili argui poteſt, quæſtio affirmanda eſt, & talis Advocatus, qui ſufficientem diligentiam & debitam ſecundum ſtatum & munus ſuum ad inveſtiganda & cognoſcenda merita non præmiſit, & proinde ex ignorantia notabiliter culpabili facti vel juris ſumſit patrocinium cauſæ injuſtæ, tenetur ad reſtitutionem expenſarum & ad reficiendum damnum inde ſecutum parti, ſecundum modum culpæ, quia alias non litigaſſet. Secus vero dicendum erit, ſi ex ignorantia invincibili & excuſabili cauſam ſuſcepiſſet, puta ſi Advocatus Juris gnarus omnem adhibuiſſet diligentiam ſibi poſſibilem, aut ex falſa facti narratione patrocinium præſtitiſſet, quo caſu non tenetur ad damnum & intereſſe, & ſufficit cauſam fuiſſe veriſimilem. STRUV. *de Poſtul. Exerc. 7. th. 6.* ad id tamen tenetur Advocatus, qui à principio cauſam aliquam juſtam eſſe credidit & pendente certamine malam & injuſtam eſſe deprehendit, ut eam deſerat & à ſuſcepta advocatione abſtineat. *L. 14. §. 1. C. de Judic.* etiamſi jurejurando promiſerit, ſe ad finem litis usque operam præſtiturum. *arg. C. 69. de*

*Reg.*

*Reg. Jur. in 6to. C. 28. X. de Jurejurando.* STRUV. *l. c.* HILLIG. ad DONELL. *l. c.* impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur. *C. 3. & 5. cauſ. 22. qu. 4.* unde Clientem ſuum ad cedendum permoveat. MAGON. *in Cyn. Adv. c. 20. n. 17.* aliàs ſi de facto contra conſcientiam pergit, ad gehennam ædificat. HOSTIENS. *in ſum. de Poſtul. n. 5.* & ab eo tempore, quo ſcit, cauſam eſſe injuſtam, tenetur adverſario de damno reſtituendo, ſi patrocinari pergat, & in expenſas ex ſuo marſupio exſolvendas condemnatur. vid. PAUL de CASTRO *Conſ. 67.* citatus à BERLICH. *l. c. n. 38.*

§. X.

Quæritur autem, quid faciendum, ſi cauſa ſit dubia, ita ut non poſſit diſcerni veritas propter rationes & autoritates pro utraque parte concurrentes? Reſpondetur, quando cauſa pro utraque parte colliitigantium eſt, ſeu ab Advocato poſt diligentem ejusdem cauſæ conſiderationem judicatur dubia, ſeu cujus juſtitia ſive ex parte facti ſive ex parte juris non conſtat, ſed ſunt hinc inde opiniones Doctorum æque probabiles, ſcilicet utraque pars nititur rationibus æque bonis & Doctoribus æque gravibus diverſimode jura intelligentibus, hoc in caſu conveniunt Doctores fere omnes, poſſe Advocatum patrocinari pro altera parte ſive actore ſive reo. vid. SOTUS *de J. & J. L. 5. qu. 8. art. 3.* GREGOR. de VA-

LENTIA *Tom. 3. diſp. 5. qu. 15. p. 4.* LESSIUS *de J. & J. L. 2. c. 31. dub. 9.* & quidem eas ob rationes, quia, ſi in hujusmodi cauſis dubiis non liceret Advocato patrocinari, fere nunquam liceret, cum hinc inde lites ſumant initium, & pendeant, quod res aut jure aut facto in dubio verſentur. Deinde accedit & alia ratio, quia munus Advocati non eſt cauſam definire, & ſententiam proferre, ſed ſolum legum ſenſa bona fide ad alterutram partem applicare, & rationes & omnia ea, quæ ſui clientis jus oſtendere atque confirmare poſſunt, proponere Judici, ad quem poſtea ſpectat juxta merita cauſæ cognita, & juxta regulas, quas ipſe in judicando obſervare tenetur, ſententiam ferre. Illud tamen negandum non eſt, quod Advocatis utriusque partis hoc in caſu incumbat, ut, dubietate partibus ob oculos poſita, inter eas concordiam amicabilemque compoſitionem tentent. vid. GUTTIER. *quæſt. Pract. Lib. 1. qu. 26. & 29. n. 4.* HILLIGER. ad DONELLUM *Lib. 18. c. 3.* aut ſi hanc viam amplecti nequeant, utile erit, ſi ſe à Collegiis Juridicis informari petant. vid. STRYK. *Diſſ. de Conſcientia Advocati. Cap. 4. n. 18.* quod enim à pluribus quæritur, facilius invenitur. *c. de quibus. diſt. XX.*

§. XI.

Quid autem, ſi opinio alicujus partis aliquantulum ſit probabilis, & Judices quandoque in illam veniant, alterius autem opinio probabilior

lior & frequentior in Judicio recepta, annon tunc Advocato liceat defendere cauſam minus probabilem? reſpondetur, variant maximopere Doctores in deciſione hujus quæſtionis. Dantur, qui abſolute aſſerunt, Advocatum non tantum poſſe, ſed teneri in conſulendo, ut Judex in judicando, ſequi opinionem probabiliorem & veriorem. vid. CAROCIUS *Lib. 2. de Commun. opin. tit. 8. n. 16. & 17.* FARINACIUS *in Repert. Judic. qu. 13. n. 35.* & proinde in utroque foro, externo & conſcientiæ, teneri tum ad intereſſe parti læſæ, pro qua conſuluit ipſe contra communem, tum reficere omne damnum parti, adverſus quam conſuluit. vid. CASSANEUS *ad conſuet. Burgund. rubr. 4. §. 7. in verb. Si ce n'eſt conſentement. n. 37.* His non obſtantibus inveniuntur quam plurimi, qui cum SOTO *l. c. L. 5. q. 8. art. 3.* diſtinguunt, dicentes: aut agitur de cauſa magni momenti, de qua ſupra locuti ſumus, aut de cauſa non tanti, ſed minoris momenti. Priori caſu non licere Advocato patrocinari actori contra reum ſecundum opinionem minus probabilem prætendunt; cum id, quod probabilius apparet, non ſit ſemper verius. Poſteriori verò caſu dicunt, quod poſſit Advocatus licite defendere opinionem minus probabilem, & tam actori quam Reo patrocinari, dummodo prius admonuerit Clientem, Juſtitiam non tam ei, quam alteri arridere.



Digitized by Google

## §. XII.

Quemadmodum autem Advocato incumbit omni ſtudio laborare, ut cauſas revera & ſecundum conſcientiam juſtiores & probabiliores ſuſcipiat, ita quoque cavere debet, ne juſtæ cauſæ defenſionem requiſitus recuſet vel deſerat aut negligat. Cognita itaque cauſæ juſtitia Advocatus plenarie de facto informatus intendere debet, ut hominibus diſcordibus & ad Judicium convolantibus ſalutari conſilio adſit, quo ſuum conſequi aut iniquam petitionem refellere atque avertere queant. Verum ante telam judicii Clientem ſuum ad pacem & concordiam inflectat, transactionem amicabilemque compoſitionem commendet; quærat, ut de jure ſuo potius aliquid remittat, quam infinita litis incommoda ſentiat, doceat, quod litis, uti belli, dubius ſit eventus, *L. quod debetur. ff. de pecul.* quod, immenſæ quando excreſcant expenſæ, capitales inter litigantes oriantur inimicitiæ, & quod ſumma ſit miſeria, totam aliquando ætatem ad piſtrinum forenſe conterere (in quo tamen contentioſi homines quam maxime delectantur:

*Vincant ſeu perdant alea jacta placet.*)

Quod ſi præter omnem ſpem & opinionem hæ admonitiones nihil proficerent, ſed Cliens potius litigare vellet, quam tantillum de jure ſuo remittere, tunc Advocatus cauſam propoſitam ſuo patroci-

trocinio defendendam tuendamve ſuſcipere poterit, obſervatis iis, quæ ſtatuta, Conſuetudines locales, Juris Scripti Deciſiones, nec non Curiæ ſtylus obſervari præcipiunt.

§. XIII.

Officia autem Advocati, quæ in Defenſione cauſæ ſuſceptæ ab eo obſervanda, ſunt vel *Generalia*, quæ ab omni Advocato tam Actoris quam Rei præſtanda veniunt, vel *Specialia*, quæ vel tantum Advocato Actoris vel tantum Advocato Rei obſervanda injunguntur: Generalia probi Advocati officia ſunt ſequentia. Primo incumbit cuilibet Advocato indiſtincte, ut cauſam ſuſceptam defendat *rite*, obſervato nempe Judiciorum ordine. vid. ORD. CAM. *p. I. t. 52.* Ante omnia autem quilibet Advocatus de legitimo mandato ſibi provideat, ejus exhibitionem actis inſcribi curet, ne mandati à Cliente transmiſſi amiſſione ſe & alios magnis moleſtiis & damno involvat. vid. CHRISTINÆUS *Vol. 2. Deciſ. 99. n. 20.* Exhibito mandato Advocati ſecundo *breviter* ſuccincte & perſpicue cauſam ſuſceptam proponat, & ab omni verboſitate non minus quam prolixitate abſtineat. *L. 6. §. 1. & 4. Cod. de Poſtul.* non enim in ſermonum foliis, ſed radice rationis gloria quærenda. *Can. Marcion. 64. c. 1. q. 1.* idcirco ita, ut Judici de facti qualitate conſtare poſſit, conficiat ſupplicationes, alias non attenduntur

duntur, ſed rejiciuntur decreto: Iſt auf vorgebrachte narrata abgeſchlagen, oder wofern Supplicant das fundament ſeiner ſupplication eingezogener und förmlicher petiren würde, ſoll darauf ergehen, was Rechtens. vid. MINDANUS *de Proceſſ. n. 4. & 5.* & ORD. CAM. IMP. *P. 1. t. 23. §. 1. &c.* ubi brevitas locutionis expreſſe Advocatis commendatur, eo quod prolixi verbales receſſus & propoſitiones ad nihil aliud, quam ad prorogationem Judicii, proceſſuum cauſarumque remorationem ſpectat. Hinc etiam cauſas ſemel ſuſceptas omni dexteritate, debita diligentia & bona fide pertractet. ROSB. *in Proceſſ. Civ. t. 18. n. 14.* easque ex induſtria in Kalendas usque Græcas protrahere & in longius per ambages & multa parerga circumducere non debet Advocatus. *L. 6. §. 4. C. de Poſtul. L. ult. C. de Adv. div. jud.* ſed quam fieri poteſt citiſſime ad exitum perducat. BERLICH. *P. 1. concl. 9. n. 40.* alias potius Morator quam Orator dicendus erit.

## §. XIV.

Advocatus ad dicendum admiſſus Judici aliisque adſtantibus decenter ſupplicet, ut benignam audientiam ipſi præſtent. Conceſſa audientia Advocatus cauſam proponere & rei eſſentiam ſpecifice ſolummodo explanare debet, præ-

Digitized by Google

præmiſſa brevi aliquali & utili præfatione, ne quodammodo illotis manibus ad menſam pervenire videatur. vid. MAGON. *in Cyn. Adv. c. 4. n. 22.* nefas enim eſt, qui in foro cauſas dicunt, nulla præfatione facta Judici rem exponere ait GAJUS. *in L. 1. ff. de Orig. jur.* In perorando autem, uti in ſcribendo, tertio, *modeſte* ſe gerat, tam erga Judicem quam adverſarium, & ab omnibus ſcommatibus, ſcopticis ac futilibus verbis ſibi temperet, nec injuriis & convitiis pugnet. *L. 6. §. 1. C. de Poſtul.* vid. CHRISTINÆUS *Vol. 2. dec. 100. n. 8. &c.* aliâs Judex recte facit, ſi ejusmodi Cavillatores ſtatim in ipſo facto objurget, & mulcta arbitraria puniat. CARPZOV. *in Proc. Jud. t. 5. art. 7. n. 42. & ſqq.* Principaliter vero in proponendo attendat ad ſequentia, quomodo res ſe habeat, nec ne? factum quid ſit, an non? quæ determinanda ſint? qualiter, quando & quomodo id Judicis arbitrio relinquat. *Diligenter* porro & *candide*, quod quartum & quintum generale Advocatorum officium eſt, cauſam tractare debet, omnia nempe jura pro Cliente allegare, & intentionem ſuam per probationes in Judicium deductas oſtendere, eamque legibus, rationibus, præſumptionibus & inſtrumentis aſſeverare illud tamen hîc monendum, quod Advocatus in ſuis ſcriptis à multis allegationibus legum præprimis ad cauſam parum vel nihil conducentium, abſtinere debeat, nam *Curia*



Digitized by Google

*ſcit jura.* Hinc in Curiis Galliæ Advocatis Jura allegantibus dicitur: *Venite ad factum*, *Curia ſatis intelligit jura.* MYNSING. *5. Obſ. 88. n. 6.* nam ſicuti ridiculum eſt, ſi ægrotus ex Galeno vel Hippocrate curam Medico præſcribere velit, ita non poteſt non Judicibus allegationum luxuria maximo riſui eſſe, cum Judices Jus, quod ex facto oritur, ipſi noſſe debeant. SPECUL. *tit. de Adv.* §. *conſequenter. verſ. item caveat. Auct. Diſcurs.* vom *Juſtitien*-Werck. *p. 409.* Idcirco etiam caveat nimia ſubtilitate, argumentis Sophiſticis & captioſis, & ne fallaciis cauſam malam faciat videri bonam, & imprimat aliquam opinionem falſam in cerebrum Judicis, ſed repetat argumenta evidentia toties, donec adverſarius intelligat, & Judex plenarie ſit inſtructus. Colligat etiam probata, eaque cum ſuis allegationibus in ſcriptis Judici exhibeat, & ſi poteſt, caſus ſimiles, & ſpeciales Doctorum Deciſiones adducat, quo plenius deliberare & veritatem juſtitiamve inquirere valeat, & ſi forſitan pars adverſa aliquid ex allegationibus conceſſerit, proponat Advocatus illud Judici, ut hoc quaſi pro Judicato habeatur. Denique curet, ut vafritias captioſas, quibus Pars adverſa utitur, repellat, damnumque à Cliente avertat, ne ulla Advocato imputari poſſit negligentia; Si enim Cliens Advocati negligentia læſus eſt, daretur ipſi contra ſuum Advocatum actio aut

man-

Digitized by Google

mandati, aut in factum. vid. LAUTERBACH in *Coll. ff. Lib. 3. t. 1. §. 10. arg. L. 8. §. 1. ad. L. Aquil. §. f. J. eod.*

§. XV.

Sexto *fideliter* quoque Advocatus erga Clientem ſeſe gerere debet, nempe requiritur, ut Advocatus pacto cum Cliente inito ſatisfaciat, cauſamque Clientis bona fide defendat. *L. 6. C. de Poſtul.* Quæ cum ita ſint, non debet Advocatus diſſimulatas probationes allegare, nec Partis, quæ ejus fidei ſe ſuppoſuit, ſecreta cauſæ revelare, quia Clientis cauſam prodere ſimile latrocinio habetur. *arg. ca. irreligioſum. diſt. 87.* aut alio modo cum adverſario colludere. ORD. CAM. *P. 1. t. 64.* aliâs plus nomen Schadvocati quam ADVOCATI meretur; & idcirco non ſolum omne damnum ac intereſſe Clienti reſarcire tenebitur, ſed & incidet quodammodo in Crimen prævaricationis & falſi. *L. 1. L. 4. §. 4. de his qui not. inf. l. 1. §. 1. l. 3. §. 2. de prævaricat. l. 38. §. 9. ff. de Pœnis. l. 212. ff. de V. S.* notabitur infamia, atque præter damni reſtitutionem removebitur ab officio. *arg. l. 5. ff. de Prævar.* aliaque pœna afficietur. *L. 1. C. de Adv. div. jud. arg. L. c. 38. de Pœnis.* CARPZOV. *Lib. 3. Reſp. 3. & 5. Dec. 91.* quæ in tantum proce-

Digitized by Google

procedunt, ut etiam ſecreta Partis pandere non debeat, licet Superior id injungat; niſi ſint talia, quæ, non detecta, ingens periculum vel damnum Reipublicæ afferre poſſent, tunc enim Advocatus ſecreto commiſſa ſalva conſcientia ſecum detinere nequit; non obſtante, quod aliâs Advocati teneantur ſervare ſecreta ſibi commiſſa pariter ut Confeſſionarius. RODRIQUEZ. *in Summ. Caſ. Conſc. P. 1. cap. 3.* Denique & *conſtanter* Advocatus officium advocationis peragere debet Clienti, id eſt, tenetur litem ſuſceptam ad finem perducere, & non Clientem ſuum ejusque cauſam in medio litis deſerere. vid. ORD. CAM. *P. 1. t. 62. circa fin.* niſi 1) videat ex allegationibus & probationibus cauſam Clientis ſui eſſe ſordidam atque injuſtam, quo tamen caſu Parti adverſæ patrocinium præſtare non poteſt, niſi 2) juſtam excuſationis cauſam habeat. *L. 13. §. 9. verſ. neceſſitate C. de Judiciis.* BRUNNEM. *in Comment. ad C. h. l. n. 58. 59.* id quod evenire poteſt, ſi v. g. lis futura ſit contra ipſius Parentem vel conſanguineum, vel ſi morbo gravi ſupervenienti impeditus non poſſet amplius vacare cauſæ ſuſceptæ.

## §. XVI.

Hactenus egimus de officiis Advocatorum generalibus. Tranſeamus ad ſpecialia & videamus,

mus, quid in ſpecie Advocato actoris præter ea, quæ jam enarravimus, faciendum injungat. Advocati Actoris cura potiſſima eſt, ut verum genus actionis expiſcetur, & deſiderium ſui Clientis in jure judicioque, quoad libelli apti & congruentis formationem aliasque Judicii & Proceſſus partes enixa diligentia & fide pertractet, riteque formet proceſſum, CARPZOV. *P. I. C. 1. d. 4. n. 7. & C. 2. d. 16. n. 3.* ita ut Judex primo ſtatim intuitu videre poſſit, quænam actio ſit inſtituta, quæ ſint cauſæ merita, & pro qua parte pronunciare debeat. Præſertim curet, ut prius agat, ſi poteſt, poſſeſſorio quam petitorio remedio, commodius enim & utilius eſt poſſidere, quam in rem agere; nec, dum poſſet ſummariter, ordinarie ſeu in proceſſu ordinario cauſam agitet & ventilet, cum multum interſit actoris, utrum ſummarium, an ordinarium inſtituatur Judicium; non datur enim regulariter regreſſus. vid. COLERUS *P. 2. de Proceſſ. Execut. c. 5. n. 39. & ſeqq.* Propoſita facti narratione demonſtret, partem adverſam omni jure legitimaque Exceptione deſtitutam eſſe, & curet deſtruere Exceptiones Rei per Jura & replicationes, quæ ſi confractæ fuerint & eliſæ, iterum ſurgat & lapſa erigat, fatigataque reparet. *L. Advocati 14. C. de Adv. div. Judicior.* ſatagatque reædificare, quod ab adverſario deſtructum eſt, arrengareque, uti loquitur SPECUL. *tit. de Lib. Concl. §. porro*

D Adv.

*Adv. ſ. in pr.* incipiat; ſigillatimque reficiat, quicquid partis adverſæ Advocatus contra eum molitus eſt: SPECUL. *l. c.* His peractis petat, ut ſententia detur, & Reus in ſummam libellatam omnesque expenſas condemnetur.

## §. XVII.

Ex adverſo Advocatus, qui ex parte Rei ſtat, laborare debet, ut benignam audientiam Judex pro Reo concedat, deinde ſtudeat factum ſuum aliter, quam actor illud propoſuit, aſſeverare, opponere Exceptiones, adducere teſtes & inſtrumenta, quibus actoris jura & prætenſiones aut accuſationes deſtruere valeat; Inſuper rationibus pro parte actoris inductis reſpondeat, dicendo: quod non exemplis ſed legibus ſit judicandum, aut quod jura ab adverſario inducta pro ſimilibus non obſtent, quia diſſimilitudo in eis invenitur &c. vid omnino MAGON. *in cyn. Adv. p. 114. n. 3.* præterea curet, an poſſit impugnare teſtes, quos actor contra ipſum produxit. v. gr. oſtendendo contrarietatem, varietatem aut mendácium, probando, quod ſint infames, ſubornati vel inhabiles & ſimilia. Advocatus Rei, deſtructis ita vel impugnatis iis, quæ per Advocatum actoris allegata, adducta & conſtructa erant, petere quoque debet, ut pro ſe ſententia feratur, ipſe abſolvatur, actor in expenſas & intereſſe condemnetur,

netur, & liti finis imponatur. Illud adhuc bene obſervandum eſt, quod Advocatus Rei curare debeat, ne patiatur cauſam ordinariam ventilari in Judicio Summario, cum juris notiſſimi ſit, cauſam ordinariam invito Reo haud quaquam poſſe tractari ſummariter, prouti ita pronunciatum eſſe à Scabinis Lipſienſibus refert CARPZOV. *def. for. P. I. Conſt. 2. def. 16.* Et propter beneficium appellationis cauſas criminales reddere ſtudeat civiles. vid. *Juſt.* OLDEKOP. *Cautel. Criminal. caut. 9. t. 3. p. 250. &c.*

## §. XVIII.

Quod ſi Advocati prædictis officiis rite & legitime funguntur, omnes laudes, encomia & prœmia à legibus ipſis tributa conſequuntur. *l. 1. §. 12. ff. de extraord. cogn. l. 4. C. de adv. 2. L. 6. C. de Prof. & Med.* merenturque non tantum ſalarium conſuetum, ſed & donum vel munus, quod Advocatis à Clientibus ſuis, victoriæ cauſa, extraordinaria gratitudine & liberalitate ſæpius promittitur, licet rarius exhibetur, quod vulgo vocari ſolet Palmarium. de quo vid. LAUTERBACHII *Diſſ. de Palmario Advocatorum Tub. 1651. habita* & KRAUSSII *Diſſert. de eo quod juſtum eſt circa ſalaria & honoraria Advocatorum. Witteb. 1727. ventilata.* De Advocatorum



Digitized by Google

torum Privilegiis vel Prærogativis hic incidenter agere quidem locus eſſet, ſed nec animus nec tempus adeſt, quoniam hoc nos in immenſum pelagus protruderet; ſufficiat meminiſſe, quod eos 130. privilegiis frui ſcribat CHASSEN. *p. 10. c. 20. ex Bologn. in auth. habita C. ne fil. pro patr.* interim vid. STRYK. *Diſſert. de Privilegiis Advocatorum. Cap. 2. & 3.* Non poteſt autem Advocatus petere certam partem litis. e. g. decimam, quindecimam, vel aliam, quam ſibi per pactum cum Cliente initum promitti curavit, in caſum, ſi vincat; tale enim pactum de quota litis inter Advocatum & Clientem initum, ut & ceſſio eo nomine facta nullo modo valet, & tanquam illicitum damnatur à legibus. vid. *L. 5. & 6. §. 2. C. de Poſtul. L. Si contra C. mandati. L. 6. §. ult. & L. 7. ff. eod. L. 15. C. de Procur. L. 53. ff. de Pactis.* quoniam eſt contra bonos mores. *L. Sumptus 53. ff. de Pact. L. 1. §. 12. de extraord. cogn.* Plura vide de qualitate hujus pacti in *Jac.* WOLFFII *Diſſ. de Pacto quotæ litis. Altdorff. 1677. habita.* qui docet, quod in Imperio Romano Germanico hoc pactum rejectum ſit, nullamque obtineat efficaciam. In Gallia quoque non valet. vid. L'ORDONNANCE D'ORLEANS *Art. 54.* ubi hæc verba leguntur: *Les Advocats, Procureurs, Solliciteurs ne peuvent faire paction, qu'ils auront le tiers ou le quart pour la pourſuite, telle convention eſt vitieuſe & illicite.* vid. quoque

que

que La Bibliotheque de Bouchel. verb. *Advocat.* qui refert, quod ſummum Tribunal Pariſienſe etiam ita judicaverit d. 7. Jul. anno 1514. *Defenſes faites à tous Advocats & Procureurs de contracter de l'emolument d'un procés à peine d'amende.* An vero tale pactum valeat, ſi ita inter Advocatum & Clientem conventum fuerit: ſi vincas, habebis centum ſolidos, ſi vincaris, nihil tibi dabitur? Reſpondetur, talis pactio pro illicita habenda non eſt, quoniam nullus reſpectus adeſt, neque ad rem litigioſam neque ad certam quotam in caſum eventus litis, ſed excitatur potius Advocatus ad id, ut majorem diligentiam in cauſæ defenſione adhibeat, & liti celerior imponatur

# *F I N I S.*

**Sit tibi, æterne Deus, & hac occaſione Laus, Honor & Gloria in Seculorum Secula!**

*COROL-*

# COROLLARIA.

I.

Jus Retractus approbat Jus Divinum, Civile, Canonicum & Feudale.

II.

*Nobilitas Immediata Inferioris Alſatiæ* ex ſpeciali privilegio Imperatoris MATTHIÆ Jure Retractus gaudet.

III.

Jus Retractus filiis *Nobilium* Immediatorum per ſubſequens matrimonium Legitimatis ſalvum manet, non vero Adoptatis, multo minus Spuriis.

IV.

Si retrahens intra annum & diem non denunciet emptori, nec offerat pretium, & de Retractu legitime agat, per lapſum temporis præſtituti ab illo dehinc excluditur.



Digitized by Google

V.

Si *Nobilis Immediatus* Inferioris Alſatiæ bona aliqua alienat, proximi EjusCognati,hisque deficientibus Membrum *Nobilitatis Alſatiæ* intra annum Jus Retractus exercent.

VI.

Cognatus *Nobilis* non cenſetur renunciare Juri Retractus, quamvis licitationi aut ſubhaſtationi bonorum, ejusmodi Juri obnoxiorum, interfuerit.

VII.

Feudum Nobile poſſidens eapropter nobilitatem non conſequitur, adeoque nec Jus Retractus *Nobilitati Immediatæ* competens exercere poteſt, quamvis realia Nobilium jura ipſi non deneganda.

VIII.

Adoptio à Patre plebejo Dignitatem Nobilis non imminuit, neque plebejus à Nobili adoptatus Nobilis efficitur.

§. IX.

Digitized by Google

IX.

Apanagiatus collectas pro elocanda filia (Fräulein-Steuer) indicere & exigere nequit.

X.

Certiſſimum eſt: Fœminam à Succeſſione Feudi ſemel excluſam ſemper manere excluſam.

XI.

In Feudo Francico fœminæ jure primogenituræ ſuccedunt.

XII.

Non poteſt probari ex Levit. 18, 18. matrimonium inter maritum & defunctæ ejus uxoris ſororem eſſe prohibitum.

VA1 152 2897